

væ fabricæ simili quadratæ laternæ cum fenestris vitreis & foramine in fastigio, pro commercio aëris interni cum externo imponi potest, *vid. Act. Phil. Anglic. Mens. Julio Anni 1666. pag. m. 175. seqq.* A statera, quam repræsentat, *Staticum* appellatur *Baroscopium*. Tot una illa de gravitate ac levitate aëris quæstio illustrari valet inventis; quæ his brevibus adduxisse sufficiet. Liceat interim ea speciatim in Phænomenis ac causis pervidere. Sit igitur

CAPUT II.

DE

BAROSCOPIO CYLINDRICO, quoad Phænomena, horumque causas considerato.

§. I.

PHænomenon *Baroscopij* hujus primum & præcipuum est, quod subducto ab orificio digito, vel epistomii clave B. apertâ, hydrargyrus effluat ad altitudinem 28. circiter aut 30. digitorum secundum illustr. Rob. Boyleum in *Experim. Phys. Mechan. Exper. XVII. pag. 152.* Item in *Ephemerid. Erud. A. 1666. die 26. April p. 313.* Ad altitudinē 27½ digit. juxta *Celeb. Sturmium Acad. Altdorf. Prof. Exc. Colleg. Curios. part. I. Text. 3. p. m. 14. & in Auct. p. 13. 29. vel 31. digit. juxta Cl. Georg. Sincl. laudatum jam in Univ. Glasguens. quondam Prof. P. in arte Nova & Magna Gravit. & Levit. Lib. 1. dial. 2. 4/3 Ulnarum secundum Nobil. Ottonem de Guericke Consul. Magdeb. famigeratiss. nuperr. defunctū L. 3. C. XXXIV. in *Experim. Magdeb. de Vacuo spatio p. m. 117.* item *Excell. Dn. Lobmeierum in Diss. de Artif. Nav. per aërem Th. 10.* Aqua verò ad altitudinem 18. vel 19. ulnarum juxta *Guerickium Lib. allegato cap. XX. p. 98.* Ultra 18. Cubitos juxta *P. Gasp. Schottum in Technica Curios. Lib. 3. cap. 2. Exper. II. p. m. 198.* 18. Cubit. vel palmorum 36. juxta *Mignanum. 31½ pedum juxta Pascalium annotante Schotto in Techn. Curios. L. 4. C. 6. §. 2. pag. 263.* In eâdem altitudine mercurius vell*